

származván ezeknek helyekbe először az oláhok, aztán a szászok, ismét nem sok idő múlva a székelyek, és végezetre a magyarok. Kiváltképen pedig Erdélyország Tündérország, mert itt is mint más országokban egyszer valaha minden embernek bé kellett tünnie a koporsóba . . . »

DR. DÉZSI LAJOS.

RÉVAI MIKLÓS LEVELEI PAINTNER MIHÁLYHOZ.

— Ötödik közlemény. —

44.

Michaeli Suo Nicolaus Salutem et Felicitatem, Pacisque annunciatæ fructus dulcissimos.

Consternauit me nuper Soror tua, mihi forte obuiam facta, tristi de morbo tuo narratione. Nunc multum gratulor malum hoc vix vllum fuisse, quod inde conicio, quia in postremis tuis literis altum taces. Sororis anxietas, quam laudo, ex nimio in te affectu, de periculo grauiore tibi metuit. Sed saluus es, sisque, precor, perpetuo. Est mihi gratissima sincera tua gratulatio de obtenta honorifica mea quiete. Quo me solaris, et hoc iucundum mihi est. Risi tamen, quod ipsa Prouidentia gubernatrice cautum esse pulcre memoraueris, ne vnquam pinguescerem cum pinguioris Mineruæ filiis. Sed quid te sic abiicis, vt ne tuam quidem tenuitatem exspectam esse velis? Tu vero, si non tenuior, ac delicatior esses, possesne adeo irritari sonantiore ac numerosiore illo Bruto, vt hoc et meis carminibus flagellandum vrgeres? Me certe superas, qui iam ad omnia torpeo. Nec mirum. Mea enim illa tenuitas, quam vos duo Infulati, alter philosophando, alter iocando, tolerabiliorem vultis facere, nimia sua diuturnitate iam in ipsam ariditatem degenerat. Pinguescere quidem non cupio; quod in obesitate multa insint incommoda. Sed me iam taedet et multæ meæ tenuitatis, cuius pertinacia iam totus areo. Mediocritatem, tot meis fatigiis debitam, iure petii: quam tamen mihi denegatam, permittente quidem Deo, sed aperta nonnullorum malitia, non possum non acerbe ferre. Multa fiunt permittente Deo, quæ tamen propterea culpa non carent, sed imputantur rigide, igne etiam æterno cremantur. Verum in his mea vtique lex est, quam mihi cum Horatio occinis: leuius fit patientia, quiquid corrigere est nefas. Deinde et illud sacrum: in patientia possidebitis animas vestras. Hoc tamen ipsum, pati, cohibere animum dolentem, cum lucta fit, quæ sola tollit illum mentis plenam serenitatem, quam scis vel Ouidio canente requiri ad carmina. Carmina proueniunt animo diducta sereno. Bene praemetuebas, et herulorum cura, iterum assumpta, me nouis incommodis inuoluendum. In quo illud mihi acerbissimum est, quod omnes molestias, quas deorandas habeo non modicas, pro beneficio debeam reputare. Expertus iam saepe Benignos Excelsi Consilii Fauores, futuram praevidi, qua diu vexor rei meæ protelationem, praesertim pensionis, etsi Altissimo iam Loco decre-

tae. Nondum sunt ordines dati, vt ea frui possim. Iam tertia currit angaria et toto hoc tempore nihil adhuc percepi. Dum ista mota tamdiu trahitur, viuendum mihi est, et amicis perpetuo oneri esse non possum. Herulorum itaque curam in me recipere debui, prouinciam mihi ingrattissimam, otioſo meo in literulis collocando inimicissimam. Et Tóthio, Amico meo, multum sum obstrictus, quod mihi vel hoc modo consultum esse voluerit. Iam intelligis, quo sensu dicam vel ipsas molestias mihi beneficii loco esse. Beneficium mihi est vel moleste posse viuere. Quod mihi commodi putabas futurum, vbi susceptum meum, contraria reputans, probare contendebas, pro tua de me sollicitudine: herulorum cura me in solitudine a continua studiorum contentione abstrahendum, vt moderatiore labore valetudini vel nolens consulerem; hoc certe iam plane per excessum mihi obtigit. Adeo enim abstrahor, adeo inturbor, medius inter pueros inquietos, vt literulis, praesertim Musis, nullum tranquillum tempus consecrandum possit mihi suppetere. Duas tantum horas mane, et a meridie, quibus in schola sunt, vacuas habeo, saltem a strepitu, non vero a curis. His me abstrahunt munia Sacerdotalia, et rei familiaris procuratio. Valde sentio, quid Denisii cineribus debeam, et pro mea in Virum, dumvixit, obseruantia, et pro amicitia, quae mihi tecum est. Et sponte mea coepi aliquid versuum effundere in mea adhuc solitudine. Sed hos mihi repente omnes eripuit molesta mea prouincia. Nunquam adhuc ita tranquillo mihi esse licuit, vt, quae sum orsus, eadem alacritate resumere, ac prosequi possem. Quod me non minus cruciat, quam te dolere scio, Denisii nostri amantissimum. Quod secundo reputabas, fore, vt res mea familiaris adiuuetur, et hac parte totus exidi temporum iniquitate, qua pretium rerum omnium enormiter exaggeratum est. Magna satis subsidia ab herulis, et tres illae angariae, cum fine mensis Aprilis fortasse leuendae iniquissimo hoc baratro iam totae absorptae sunt. Vel ligna sola ad hoc vsque tempus eripuerunt mihi florenos 92. Hoc saltem lucri futurum esse specto, quod aliqua supellectili me auctum videre potero. Tot his incommodis comparo mihi, quod postremo recogitabas, potentum in ista patria virorum patrociniū, summa moderatione, fide integra, sedulitate intenta, et vigilantia perpetua. Et Horváthi quidem animum aperte video solatio diffluere ex filii progressu in re omni. Placet et Festetitsii Comitelli mutatio, qui maiorem poscit curam. Rem gratam praesto et Somogyio, propter nexum cum horum vtroque. Atque hunc, vt, non modo suades, sed rogas etiam, in oculis fero semper, obseruo, et colo: cum propter quietis meae beneficium, illo auctore et actore procuratum, tum etiam ad maiora solatia per eundem impetranda. Vtprimum enim edere potuero mei conatus specimina potiora, his Regi ipsi substratis iterum supplicabo propensionis augmento. *Mártonfius* typum curabit, primi certe voluminis. Neque in ceteris defuturus est. Sed me in vrgendis beneficiis moderatum esse decet. Quam caperem tecum communicatas esse postremas nostras literas, si id commode fieri posset. Nugator blandissimus me aeque nugatorem effecit. Quae de illo insertum esse vis Operi tuo, curabo, vt alia via obtineas. Nam ex ipso nihil extorqueri potest. Vide, quas nugas rescripserit: „*Paintner Sógor hejába írja*

a' munkáját; mert majd fel állanak a' Jesuiták, 's mi kellen akkor Grammatices Professorok leszünk. Rólam tsak hallgasson addig." Te quidem puto facile rediturum. Sed Episcopi si redeant, actum heroicum sunt edituri, dignum canonizatione. Quo enim tunc euanescerent vel theatri deliciae, quibus iste rapitur? Quod quidem probo in illo, quia *Linguae Hungaricae fauet*, et hac sua praesentia, et larga munificentia. A quibus mihi salutem scripsisti, eam omnibus reddi volo cumulatissimam et Zirtzensibus, et Veszprimiensibus Amicis, etiam Oeconomae tuae, de me, meaque valetudine bene ~~merita~~. Takátsium audio apud vos esse Fiscalem Capitularem. Dignus est benevolentia tua, quem proinde complectere in beneficiorum vicem et mea caussa, quae mihi cumprimis Viennae multa praestitit. Commercio literarum, strepitu *Kultsáriano* interruptum, potes tamen oggerere. Vale, meque ama tui amantissimum. Sopr. Febr. 1801. *Pecus Bakonyiense*, interea ipse liti inuolutus, dum eius potestati suberam, non me impetiit. Nunc, postquam solutus sum, exspirantem in me auctoritatem exercere voluit, homo sin impotens. Qua in re experior et Schwartzlii latentem malitiam. Adulator magnae illi pecudi congrunniens! Vt me enecare potuissent, voluerunt me, etiam cum vitae periculo, fatali mihi loco, vsque ad Resolutionis exitum in seruitute tenere. Et Schwartzlius anno superiore totus indulgens, totus Medicis obsequens, nunc furit; quasi ego sim caussa, quod re protracta, et nullo in mei locum substituto, et hoc anno supplere (anno) debeat. At non sine praemio supplet.

45.

Nicolaus Michaeli Suo Suasissimo Salutem.
Sopronii. 7 Martii. 1801.

Habes iam elegiam, et mei in te amoris, et in Beatos Denisii Manes verae pietatis monumentum; si tua, et Martonfi nostri, non vana sunt de me auguria, quae me crebro reducunt, sempiternum fortasse. Puto te nuperis meis literis consternatum fuisse; quod tibi huius solatii spem omnem viderer penitus eripere: quam fateor iam nec mihi ipsi-villam affulsisse, propter incommoda, et quae me circumstant, et quae mihi adhuc ingruunt. Illis te nuper satis obrui; ista altera proxime perscribam. Nunc ad rem praesentem regrediamur. Vide potentem vim amicitiae, quae me tabescentem erexit. Dimissa epistola poenitudo me illico inuasit facti, et pusillanimitatis pudor. Vim itaque mihi intuli. Quasi nullae me circumsteterent molestiae, ita me operi accinxi, et coepta ad finem perduxi. Tu modo relaxa animum tuum, priore epistola mea constrictum iusto moerore negati tunc honoris: et liquidius cape solatium e re praeter spem nata. Görögio, vt volebas, carmen ita excrescens commendare non potui. Indulsi affectui meo, tanta copia, quantam Ephemeridum pagellae non erant facile capturae. Aliud iniui consilium, quod est et vobis honorificentius, et mihi, hoc imprimis tempore, valde vile. Defendite me non modo splendore vestro, sed etiam auxilio. Curavi exemplaria mille imprimi. Rákosiensis Prouisor ibit festo Josephi ad salu-

tandum suum Dominum. Ex occasione mittam ad Majláthum de his quam plurima, quae ille postea tua copiosiora ad te, et alia ad alios, quantocyus promoueat, Budam, Pestinum, ad Transiluaniam, et quocunque alio mittenda putabit. Tu itaque hunc vrgeto. Zirtzenses vobis opitalubuntur. Sed ridebis Epigramma tuum in me. Amicus quidam animus voluit laudes tuas mihi in tuis literis cumulatissime tributas; miratus est benevolentiam in me tuam. Tua sensa haec fuisse intulit de me, quando conualui, quae sunt expressa carminibus. Cum illa mihi tam largiter concesseris, permitte et hoc mihi solatium, vt laude sustentet amicorum, si Regiis beneficiis, vt par esset, pinguescere non licet. Et Mártonfii cogitationem idem calamus expressit Latine. Possunt vero te sumtus terrere. Me autem ea spes alit: quod, te et Majlátho, proponentibus, ac Fratres vestros sollicitantibus, symbolum sitis collaturi, in subsidium Poetae pauperrimi, persecutionibus expositi, aegrotationibus afflicti. Inde ego et typum persoluam, et me erigam. Obsecro te, tam sum egens, vt ne vestem quidem talarem mihi procurare possim, qua floccos reliquos tegerem. Illa trita, quam in me vidisti, in lacinias abiit. Pudet me prodire. Vel hoc te moueat. Vides Regia in me Praemia meritorum. Nihil percepisti adhuc. Novák mihi molestias creauit. Minae eius erant; se effecturum, vt nihil omnino obtineam. Haec quidem molimina elidentur, sed mihi interea pugnandum est, et diu fortasse. Vale, et me iuva.

46.

Nicolaus Michaeli Suo Suasissimo Salutem.

Misi etiam Episcopo meo exemplar vnum Carminum meorum, cum epistola, cuius copiam tecum communico. »Excellentissime, etc. Vota mea quotidiana, praesertim ad aras effusa, pro iugi incolumitate Tua, ardentiora facit recurrens Tui Nominis dies sollennis; quorum significationem accipe Paterna Tua illa Clementia, qua soles res meas benigne complecti. Demisse offero una et munusculum quoddam literarium, fructum honesti otii, et grati animi monumentum in Viros bene de me meritos. Neque enim omnes huius Ordinis Socii, vel brusci sunt Balogii, vel feroces Szerdahelyii, quod quidem ego experiri potui longo sane vsu. Sed isti, et ab his iam satis luerunt poenam immoderatoris animi, et a me abunde confusi sunt. Namdudum condici, nobilissimam esse de aduersariis vltionem, virtutem, et facta praeclara. His contendo et porro clarescere; vt, et Matris meae, in cuius me sinum adoptare dignatus es, et Tui ipsius, Praesulis mei Benignissimi, fauores in dies magis magisque demerear. Sum perenni, ac profundissima cum veneratione Excellentiae Tuae Humillimus Cliens, etc.« Constitui Jaurini Tumpacherum meum obseruatorem aliquanto diligentiorum: vt animaduerteret motus et Episcopalis Aulae, et aliorum in hac Ciuitate. *Mirum nempe videbitur, me, et Jesuitarum laudes personare, et vicissim eorum laudatione extolli.* Scis iam, quos dicam vanum popellum in Elegia Denisiana, in tua vero vulgum inertem, fastum atrocem, supercilia stulte attollentem. Ridebit Szuneritsius. Huic enim iam pridem declaravi mentem meam; scripturum me in

laudes vestras, quo illos alios magis oram laudationis meae valde cupidus. De Szerdahelyio quidem satis me edocuit meus Tóthius adhuc Budae, stimulatque magnopere, vt illi carmen aliquod concinnarem. Sed si affectus in me loqui non potest, simulare blanditias non novi. Nec tam vilem esse volo Musam meam, vt fauores ab immerentibus emendicem. Hoc satius est, quod proposui, sic illos torquere inuidia vestri honoris. Multum rideo ad Oeconomae meae narrationem me iubente saepe repetitam, Erat illa Jaurini in eodem hospitio cum Patre Pauer, supellectilium mearum fidelis interea custos, dum apud te morarer. Quaesiuit iste curiosius ex muliere, vbi ego essem. Haec reddidit: me apud te conualescere, et pridem amice faueri. Ille attonito similis; „*Bizony tsodálom. ait, hiszem Paintner Jesuita, Révay pedig Piarista.*“ Audis popelli vocem. Sed iste corruptitur, vt solet in vulgo fieri, maiorum illorum auctoritate, fastu atroci tumentium. Verum tu me iam silere iubes istas nugas. Audi ergo alia. Exemplaria mea ita sunt iam distributa, vt de 1000 vix 50 habeam reliqua. Exemplar vnum adhuc modeus rapuerunt homines Cancellariae Véghianae, miseruntque Budam celeri cursu inter res suas ex officio promotas. Appellent eo proxime et cetera, modo Majláthius non tergiversetur Jaurini. Habeo iam plausum a Somogyio meo, quem ego valde colo te etiam monente. Oblecta te pulchra eius epistola. »Kedves drága Tisztelendő Uram! Két rendbéli kedves levelét, a mint szoktam, örömmel vettem. Az elsőre meg pirúltam, hogy Tisztelendő Úr sok fáradozásinak elvett nyugodalmas jutalmát nekem köszöni; holott ezt tsupán a n.aga tetemes érdemeinek, és a' legkegyesebb Felsőleges Urunk kegyelmének tulajdonéthatja. Én tsak azt kívánom, hogy számos esztendőig azt egészségben jó kedvvel tölthesse, és így mindenkoron *Hungaricos concinat ille modos.* Mivel pedig épen erről vagyon a' szó, ki nem mondhatom, melly igen tetszett Méltóságos Erdélyi Püspök ezen ékes gondolatjának Deák versekben való elő adása. Méltóságos Püspök Rozsos is álmélkodva olvasta. Én tsak attól félek: hogy, ha a' Deák Szűzek a' Phoebus sententiáját fellyebb appellálják, vagy ismét új pört kezdenek; az illyes darabok bémutatásával hasonló just a' Magyar Szűzekkel ne nyerjenek; mert lehetetlen, hogy Tisztelendő Úr betegen írta volna azokat. Azonban mind ezért, mind a' többi legékesebb darabokért igen különös köszönetet mondok. — Denisről igen méltó vólt olly ékesen emlékezni: kinek neve, és ditsérete, a' meddig a' szép tudományok fenn maradnak, mindenkor meg marad. — Nagyon sajnálom, hogy ismét a' fizetés, és pensio miatt a' rossz emberek gátlást tenni merészelték; holott inkább örülni kellene, hogy Tisztelendő Úr a' királyi kegyelemben részesült. Mittat saltem breuem Instantiam ad suam Maiestatem directam; illico removebuntur omnes obices. Haec ille! Nunc tu amice! arripe calamum, et scribe quantocius Budam ad tuos homines, vt certo explorent; quid illic agatur de meo salario, et pensione; an reuera suspensionem parent, et quibus de caussis ita iterum insaniant. Mihi non respondetur haec vrgenti. Scripsi mature, me iussu medicorum, in periculoso mihi loco, resolutionem praestolari non potuisse; multo minus in officio, a quo iidem prorsus remotum esse voluerunt. Haec Deos Vien-

nenses movent, sed *ferocia illa Bruta Budensia*, aliqua dico, tangere non possunt. Laudabis vero consilium meum etiam propterea; quod me fluctibus subduxerim, quos mouit Comaromiensis Directoris stulta arrogantia, et malitiosum in Professores imperium. Iste, iam Director, vindicare voluit in me Strigoniensis Directoris iniurias, vt ille putabat, Collegae vtpote iam sui, sed ignauissimi hominis, quem *perversus Kultsár* versare potuit, vt libuit. Edo tuli omnia patientissime, et solum hoc curabam, vt procul sim ab incendio, quod futurum praeuidi. Hoc anno erupit discordia non modo inter illum et Professores, eius arrogantiae impatientes, sed inter Cenicum etiam Parochum, a quo apud Novákum, eius Amicum, teterrime descriptus est. In hoc ego turbine, et molesto scholarum onere, iam fracta imprimis valetudine, vix viuerem, aut certe animam aegre traherem; et ea, quae vos nunc oblectant, producere prorsus non potuissem. Per Denisii cineres, et mihi, et vobis sacros, te obtestor, euigila in rem meam; vt, si et Budenses fuerunt, consilio Somogyiano tranquillitatem meam, tot votis expetitam, mihi quantocius vindicem, plenamque asseram. Vale quam optime et me porro quoque ama. Sopr. 18 Mart. 1801.

47.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem et Felicitatem.

Epostulationem tuam legi cum voluptate, et te, mihi quidem semper amabilem, nunc tanto etiam acius amare coepi: quod tantis licet praeditus sis animi dotibus, ac tanta et agas, et geras, laude dignissima, certe et Venerabilis Publici testimonio; adeo tamen adhorreas ab aura populari, et rerum tuarum celebratione. Hoc quidem solidae est virtutis documentum, et facis, quod illustres Viri omnes facere solent, vt ad laudes suas erubescant, easque inuiti audiant, contenti ea sola animi voluptate, quam gignit copiosissimam recte factorem conscientia. Sed nostra itidem officia, qui beneficiis cumulamur, qui a vobis talibus in pretio habemur, et amamur, excitant nos vobis vel inuitis: vt, quo possumus modo, gratum exhibeamus animum, virtutique suum reddamus honorem. Haec antiqua est, et pulcherrima certe pugna, inter eos, qui bene agunt, beneque faciunt, et qui benefacta percipiunt. Atque huc iam rem nostram deuenisse valde laetor. Nisi certamen istud exortum fuisset, meus quidem amor mihi semper adhuc segnis, nec satis memor visus fuisset eorum, quae tuus in me amor cumulata effudit et beneficia, et defendendi studia. Habeo copiam potentis tuae epistolae ad Somogyium datae, et eam conseruabo ad vnam vsque, melioris meae fortunae vindicem. *Tanta tibi adhuc debeo, quanta nunquam me posse satis intelligo.* De subsidio, mihi submisso, magnas tibi gratias habeo. Nolo te cum modestia tua pugnare in colligendo simbolo. Parce nimiae meae egestati, quod huiusmodi subsidioli spe illectus hoc te consilio onerauerim. Fero sortem meam, ast possum, pacato animo. Hoc solum agas, velim, sed tamen et hoc, si commode facere potes; vt rescias Budensium molimina. Suspecti mihi sunt pertinaci suo silentio. De exemplari

bus, tibi transmissis, si tibi multa videntur, potes reliqua, opportuna occasione, vel Budam mittere ad Jacobum Pethő Commissionis Literariæ Assessorem, vel ad Professorem Schedius Pestinum, vt venum eant apud Bibliopolas, quibus alia tradi ab ipsis volui. Majlátho nec ego satis fidere potui, quod tardum noscam. Quare *Andream Horváthum* peculiari epistola requisivi et ad distributionem Jaurinensem, et ad reliquorum expeditionem, copiosissimorum Budam et Pestinum, non paucorum etiam Comaromium et Strigonium. Rescripsit cum gaudio, et iam multa perfecit, et reliqua se quam proxime perfecturum spondit; addidit in promouendo accessisse sibi et Professorem Berta strenuum socium. Miror et ego Viennenses non plus fecisse. Haschaianum, curabo, vt quantocius legere possim. Aestheticae Professor quod infra tuam expectationem cecinerit, hoc quidem aegre fero. Non videtur multum dilexisse. Si quid est in meo, quod placere possit, sentio id a dilectione esse maiori et tui, et Denisii nostri. Et haec dilectio caussa est, quod ego de Denisio ad te scribere debuerim; vt Fracastorius de Antonio Turriano ad Joannem Turrianum Fratrem scripsit. Hunc in me affectum damnare non potes: *quod erubescas, facis pro modestia tua, ob quam te tanto magis diligo.* Sed redeo ad primam litem nostram. Somogyio tot misi exemplaria, quod sufficiant Cancellariae Hungaricae; tot item *Samueli Teleky* pro Cancellaria Transilvanica: qua vtraque adhuc Posonii moratur. Görögus pro Viennensibus accepit tantam copiam, quanta et vendi possit, et distribui praecipuos inter cultores Denisianorum cinerum. Inter hos nominaui Ministrum Sauran, et reliquos, quos noui. Dedi hodie etiam Affini tuo pro Szaiczio, Weghofferio, *Roznáko*,¹ et Ságio. Nunc mihi tria solum restant exemplaria solitaria: triginta inserui Latinis meis, si ea quis emere vellet, vt cum his habeat et ista postrema mea. *Ego tibi iterum iterumque Episcopatum precor*, sed pinguiorem, non cum 18000, qualis Mártonfio obtigit: vt Czupponios, et Tertinas iuuare possis. Vides, te non obscurum latere; quomodo isti enim ad te confugerent, nisi excitati praeclara tui nominis fama? Sero ego buccinator accessi, istos tui opinio mouit iam ante me vulgata. Laudandus est horum conatus; quod sensu careant teneriore, hoc naturae vitium est minus benignae. Sed illud tamen sentiunt, pinguioribus illis, a quibus ad tenuiores confugiunt, reuera pluris esse Marthas, quam Musas, vt tuo me lusu recreem. In promptu caussa est! Marthae effici possunt matres, sed Musae infoecundae sunt, perpetuo continentiae amore. *Et hi prae pinguedine nimium lasciuente maiorem experiuntur voluptatem in ventris, quam mentis foetibus.* Me necessitate adductum ad suscipiendam Herulorum curam iam poenitet facti: quod enormi rerum omnium pretio, adeo non proficiam; vt nouis potius debitis inuoluar. Deinde molesta hac cura, quam semper vitauit, turbatur et tranquillitas mea, et otium eripitur, ad amoenitates meas. Indigne fero etiam seruitutem, quam potentium arrogantia imponit, vt primum aliquem sentiunt ex gratia viuere. His itaque

¹ Roznák Márton tudomány-kedvelő augusztiniánus volt, kinek kéziratai szintén Pannonhalmán vannak.

me vinculis expediam et me mihi totum, Musisque vindicabo, cum omni, qua possum, cautela! ne Somogyium offendam, Horvátho cognatione iunctum. Spes alioquin magna non est ex pueris, et laborum gratia etiam nulla, quae vel in praesenti satis parca est. Vale et me ama tui amantissimum. Sopronii 29 Martii. 1801.

48.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Legeris, credo, epistolam meam, eodem fere tempore, quo ego tuam accipi. Silentii mei tam diuturni caussas iam habes, vt me nunc iterum excusare non debeam. Eripuit tibi fera mors et alterum amicum! Hoc casu quam tecum doleam, non opus est verbis explicare. Sed sic sumus nati, ut moriamur. Sequemur et nos, modo sic meritis insignes, sic clari, ad eos transeamus; et talia relinquamus victuris post nos exempla virtutum, et ingenii monumenta, qualia isti cum perenni nominis memoria reliquerunt: Spectabilem Dominum Gabrielem Csapodi, et eius Consortem, Matronam lectissimam, multum reuecor. De honore mihi praestito magnas ago gratias. Id valde doleo; quod, et temporis angustia, et rerum mearum iniqua conditione, impeditus, nihil conferre potuerim ad ornandas Patrii exequias; vt, et ipsum, et te voluisse satis intellexi, et vt Immortalis Viri egregia merita exposcebant. Ingentem apud Sopronienses rerum omnium caritatem, et pretium enorme, legeris in ipsis adeo nouis, vt puto, Poseniensibus. Haec me totum conficiunt. Et Horváthum inprimis experior crudeliter auarum, qui me haec non praeuidentem, et eius postea liberalitate confisum, nunc valde frustratur. Promittit, sed nihil facit. Somogyius meus, qui me his ipsis diebus inuisit, et suo osculo; sua dulci amicitia multum solatus est, satis exagitaui hominem. Sed Aethiopem lauit. Ego, qui solatorius, sex centis florenis meis, hunc annum feliciter exegissem, nunc cum Herulis expendo mille quadringentos, et totas autumnii ferias famebo, cum onere novi debiti prope ducentorum florenorum. Hoc, malitia Soproniensium, qui rerum caritatem faciunt lucri cupiditate et auaritia Illustrium in hac Patria Virorum! Somogyium inuisam in bonis suis: tunc te iterum amplectar, et deosculabor. Pateram huic dilecto Patrono meo lucubrationes nunc meas omnes ab oculis ponere, omnem conatum verbis explicare. Rapuit Virum admiratio ferreae diligentiae, praesertim fracta adeo valetudine. Pollicitus est nouum auxilium, vtprimum mitiora fuerint tempora. Haec ergo breuiter tu de me: sed ego plura de te exspecto. Obsecro te, vrge Praeposituram Veszprimiensem, etiam mei caussa, vel potius tuae immortalitatis. Immortalis es apud Hungaros futurus, si tu mea in lucem emitti iuueris. Faciet vero Praepositus Veszprimiensis. A Rátothensi veterem tantum amicitiam exposco. Non te obtundo Arabicis meis nugis. Sed quid ego nugor, restanti momenti dum nugas dico? Amice! valde peccatur, quod Czupponio Arabico succurri non possit. Si enim et ille ea ingreditur via, qua ego, mire consulit Grammaticae Rei Hungaricae. Vos nunc ridetis. Sed postea stupor vos obruet, et nostris meritis vix dignam reddetis mercedem. Sed

quid agitis? Arabesne non facitis? Non hos quidem, sed vtrosque ostendimus descendere ab Hebraeis illis primis, vel potius Chaldaeis; quibus ante Abrahami migrationem in Ur Chaldaeorum simplicissima fuit lingua monosyllabis vocibus insignis, et miranda: *cuius reliquias Arabes fidelius retinuerunt, et, quod mireris, nostri etiam Hungari*. Tanta est consensio, vt easdem vtrorumque origines nemo neget, nisi insanus. Sed haec videnda sunt prius, deinde credemus. Videbis, modo Deus faueat, mea opera euolata *Vocabula Hungarica amplius mille Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, et Arabicis cognata*. Ego vero vltra etiam progredior, totam linguae nostrae indolem intimam doceo Hebraeam. Sed te obruo. Exspecto literas tuas. Vale, et me ama. Saluta nostros. Sopronii 8 Julii 1801.

49.

A' sok Püspöki nyomorúságot, bajt, 's dolgot, annyira érzed, hogy dirát kérsz tőlem a' Püspökségre, vagy másképen megátkozsz engem, hogy Püspökké legyek. Hogyan írhasak én dirát arra az áldott Püspökségre, a' melyből nekem az én édes Mártonfim már százatskát küldött, 's ezek után is küldeni fog valamit apránként? Háládatlanság nélkül nem tehetem. 'S mondom egyenesen, azt tellyességgel nem is fogom tenni. Ha azért annyira találász rám megharagudni, hogy engem ilyenképen meg átkozz, kérek tsak foganatosan átkozz meg mennél előbb. Ugyan nyer velünk a' Magyarság! Illustrissime Domine Frater? tanti est Patria, vt eius caussa molestias oneris episcopalis pacato ac lubenti animo perferamus. Quot Viris, de re communi bene mereri cupientibus, possumus succurrere, praesertim literatis! Experto credat mihi Ruperto Illustrissimus Dominus Frater; rem esse tristissimam cum extrema fere egestate colluctari, et tamen aliquid tale vel canere, vel meditari debere, quod delicatulis et otiosis hominibus ex omni parte placeat. Nos in hoc loco positos, Diuina certe Miseratione, decet collatis studiis honorum res inclinatatas erigere, iisque dulce otium dare, tot pulchris elegantibusque sacrandum lucubratiunculis. Quantum praeterea habet onus nostrum solatii spiritualis in alendis tot pauperibus, in defendendis tot orphanis, et in parcendo cumprinis grege Dominico! Mi a' tatár? tsak átkod' fenyegetésére is már collega képen szóllok veled! *Jó mégis, hogy különbség vagyon a' te Püspökséged, és az enyém között. A' tied valóságos, Erdélyben vagyon, Alvintzi Uraságoddal, 's a' többiekkel; de az enyém Klimius Miklós Druszám' holdjában tündérkedik*. De mivel te adod ezt is nekem barátságos enyelgésedben, elfogadom tőled. Udvarom' kintartására is, bízom, illy nyájas collatiód mellett nyujtasz valamit apránként. Keresztem úgy is vagyon, pedig jókora, arra tehát ne költs, *Infulám is vagyon már, néhány rongyos háló süvegetském, épen álombéli Püspökségemhez való*. Látod, mitsoda bohóságra adtál alkalmatosságot, hogy megént okos nem lehetek.¹

Subiungo Szanyensia.
Joanni Nicolao Révai
Carmen Phalencium.

¹ Itt Révai Márton⁶¹ püspökhöz írott levelét közli Paintnerrel.

Legi versiculos tuos, Amico!
 Grato quos animo, reconualescens
 Fudisti, facili manu, chelique.
 Seu dum Praepositi Rátothensis
 Lenis vulnera, sane acerba! Diui
 Fato Denisii, profunda facta!
 Seu dum Praesuleo tuo Patrono
 Mittis vota, throno, pedoque digna!
 Aegrotum nisi te tulisset omnis
 Ad nos, heu mala fama! te valentem
 Ostendit teneri tenor laboris.
 Scribis talia non valens Poeta!
 Quid sanus facies? resume plectra!

Reuereor Illustrissimum Dominum Episcopum Tsapodium, et totam inclytam domum. Saluto Takátsium meum. Etiam Theresiam, praeclare de me meritam sua sollicitudine. Te nunc occupant satis curae rurales. Suppetat tamen tibi tempus aliquod ad epistolam vel breuissimam, vt iterum fabulemur. Vale quam optime, et me porro quoque ama tui amantissimum. Görögio aliquantulum succenseo. Carmina mea Viennam missa haeserunt apud cum mensem integrum, et medium. Sopronii 13 Iunii 1801.

50.

ELEGIA SECUNDA.

Ad Joannem Nicolaum Révai, dum Sopronio Libellos Carminum mihi transmitteret ineunte vere anni MDCCCI.

Aduenere mihi bis sex, tua cura, Libelli,
 Quos cecinit solitis conscia Musa modis.
 Nescius, vnde mihi veniant haec munera Pindi,
 Fasciculus postes dum stetit ante meos,
 Inspicio: nomen praefert frons ipsa Libelli.
 Vix volvi dixi: noscitur vngue leo.
 Annus abit, primum tuleris quod carmina dono:
 Illud erat nitidum carmen, et istud erat.
 Nunc renouas donum, pergere noua carmina mittis:
 Indigitant vitam carmina viua tuam.
 Abstuleras aeger morborum semina tecum,
 Dum subito nostra profugis vrbe procul.
 Fama tulit, Budam propero, quod tramite tendas,
 Budensis morbos vt leuet vnda tuos.
 Felices thermae remorantur funera Vatis,
 Qui prope funus erat, nunc rediuius adest.
 Révaius rursum, quis crederet, ecce reuixit!
 Stat firmo, ut iuuenis constitit ante, pede.
 Tempora veris, eunt renouantur munera Florae:
 Progenerat flores et tua vena tuos.
 Mellilegae volucres succos e germine sugunt:
 Ex Vatum libris tu quoque mella legis.
 In tua se sensim penetrarat viscera tabes:
 Triste tibi lustrum fluxerat, aeger eras.
 Virus inundauit pectus torrentis ad instar:
 Destinatus in praedam te Libitina suam.
 Cum letho certamen inis, nec pharmaca robur,
 Nec praestat solidam planta salubris opem.

Hinc properas Budam, calidas te mergis in vndas,
 Quod nocuit fibris, abluit vnda malum.
 Flectit arundo caput, Boreas dum robora frangit :
 Dum mors intentat spicula, victor abis.
 Fors etiam nosti morbum depellere cantu :
 Si morbos abigis carmine, saluus eris.
 Si tibi restaurat tellus Sopronia vires,
 Gratulor, et mecum gaudia Pindus habet.
 Vix reparas vires, neruos intendere pergis,
 Et pro more vocas ex Helicone Deas.
 Nec te debilitas, nec lethi tela morantur :
 Quod bene coepisti currere, curris iter.
 Plectra moues iterum, te nulla fatigia frangunt :
 Carmina te vegetant, te labor ipse leuat.
 Barbata continuas, cingit tua tempora laurus :
 Iam satur his Vates laudibus esse potes.
 Quod cecini, repeto : temet tua carmina laudant :
 Quae placuere semel, bis quoque dicta placent.
 Corpus humi repit ; tua mens sublimia volvit :
 Materies metris dum sonat alta tuis.
 Praesulibus Patriae laetum tua barbata plaudunt ;
 Quod capiat sacrum dextera digna pedum.
 Inx Rátoth fueras felix, quia nactus Amicum :
 Quem merito celebras carmine, nosco Virum !
 Tu Vatem laudas, pariter laudaris ab illo,
 Hic mos laurigeris Vatibus esse solet.
 Hunc facit et virtus, et laurus, et infula clarum :
 Praepositus, titulo grandior ipse suo, est.
 Congerit ille libros, Sociorum scripta suorum :
 Ipse libris maior bibliotheca suis.
 Vix, puto, maius habet nemorosa Bacuntia sidus ;
 Altius arboribus creuerat ille suis.
 Sum memor vsque Vtri : nostro sub pectore viuit :
 Cur loquor ? est maior laudibus ille meis.
 Denisii Vatis lugent tua disticha funus :
 Ambo, musarum tu decus, ille decus.
 Exagitas metris prauos in pectore succos,
 Qui tibi succutiunt saepe dolore latus.
 Non est, cur properes tenebrosam mortis ad vmbram
 Tempora dum niuibus vix bene tincta geris.
 Expedi, ut viuat, quo cum Sapientia viuit :
 Ut maneat doctum longa senecta caput.
 Quae grauis et meritis aetas, grandescat et annis :
 Incola Parnassi ne cadat ante diem.
 Mors mille interimat, Pindum qui nosse recusant ;
 Non cadet ex oculis vnica gutta meis :
 Si mors prosternat properato funere Vatem ;
 Dimidium lacerat pectoris illa mei.
 Grandis iactura est, tersum cecidisse Poetam :
 Dic, quid nobilius Vatibus orbis habet ?
 Dispereant fungi : laurus stet fronde perenni :
 Configat iaculum mortis inane caput.
 Sidera te seruent, vt crescat gloria Vatum :
 Es pars Hungarici tu quoque digna chori.
 Hungara cum Latia, duce te, petat alta Poesis :
 Vt redeat Musis, quod fuit ante, decus.
 Abumpo laudes, renuit nam vena fauorem :
 rVt sim facundus, sicca senecta vetat.

Non sum, qui fueram: crines absumserat aetas:
 Fertur in occasum vita caduca suum.
 Iam septem decies vitae superauimus annos:
 Ecce mihi tumbam condere Parca parat!
 Junior es nobis, maneat te longior aetas,
 Teque suo foueat Phoebus et ipse sinu.
 Vincere cum nequeas, Vincent tua carmina mortem:
 Nam veterum referunt illa canore metos.
 Nil dubita, sero dum te mors inseret astris,
 Lugebit Clarii lecta caterua chori.
 Carmina morte carent, viuunt post funera Vates;
 Mortis falce cades, fama superstes erit.

Comaromii ineunte vere M. D. C. C. Cl. Joannes. Bapt. Grossinger, m. p.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Transmissa mihi sunt Comaromio his ipsis diebus Grossingeri Carmina. In iis et tui praeclare meminit Vir tibi addictissimus. Cape solatium ex amico Senecionis iudicio. Valetudo mea iterum vacillat. Thermae mihi nunc optime prodessent, sed impediatur adhuc Comitelli Festetitis cura; quam a me Pater nondum accepit, nec accipere vult; tanta est in me fiducia. Nescio, quid agam et quomodo me expediam. A fastu et insolentia praediuitis Horváth iam me vindicam. Nihil iniquius fero, quam mancipatum seruitium: hoc mihi ab homine illiterato impendebat. Sero etiam filius meliori curae committitur, cum iam corruptus est priorum annum indulgentia. Afflixit me iniqua sors mea! quod mihi, homini morbo, et honestioribus occupationibus debito, dum per morbum licet, dissolutiores adolescentes obtigerint, apud me, quasi in domo correctoria, coercendi. Verfluchte Beschäftigung! Zuchthaus Verwalter bin ich geworden! Auxit molestiam enormis rerum caritas, et contractus iniquior, vel potius promissum non seruatum. Honestior tamen Festetitis animus hac parte succurrit mihi, sed hoc ipso magis intricor. Rigidiorem disciplinam meam omnino vtilem esse filio suo valde persuasus est. Quapropter magnopere mihi inhaeret. Sed breui plura coram. Vale et me ama. Sopronii 7. Augusti 1801.

51.

Pars Posterior Opinionis, a Volfgango Tóth ad Excelsum Consilium datae, de Hungarica Orthographia, et Grammatica.¹

Ceterum an Cl. Prof. Vályius Grammaticam Hungaricam eam sit editurus, quae usibus publicis aptari omnium suffragio mereatur, maiorem in modum ambigo. Siquidem observationes Doctorum Virorum, in Grammaticam eius factas, perlegere omnes, diligenter expendere, atque ad genium Linguae, ad vsum veterum, ad recentiorum, ad communem nationis nostrae sensum diiudicare, ac suis quaeque locis digerere vellet; sperari id ab ipso iure posset; sed haec exsequi magni est laboris, cuius tolerantiam habiturum esse ipsum non mihi persuadeo. Certe enim ad Geographicum illud Hungariae Lexicon elaborandum, non Mandato aliquo

¹ Itt ismét másnak iratát közli Révay Paintnerrel.

fuit prouocatus, sed sua sponte adductus, multisque praeterea multorum subsidiis adiutus; et tamen eius *Magyar Országának Leirása* quantis scatet erroribus! Quis iam speret Grammaticam citra errores opera eius prodituram, praesertim cum ad laborem hunc non sua voluntate inuitatus, sed ratione officii sit adstrictus? Quodsi vna primum lingua Grammaticam istam rite absoluisset, facile in alias deinde traducere poterat! nunc autem cogitationes suas, vna cum tempore, per trium linguarum volumina dissipauit, et Grammaticam Hungaricam in omnibus tribus imperfectam destituit. — Grammaticam, prima cuiusdam linguae natione initiandis destinata, correctissimam omnino esse debere iudico: vt ad illam, quasi sacram quandam anchoram, recurrere discentes possint, ac tuto ad apicem omnem prouocare; secus hallucinari discipulos, et cum tempore dediscere oportebit. Indignor, quoties in elementari Linguae Latinae apud nos Libro errorem illum hodieum cubare video, quem in omnium quatuor Coniugationum, vocis passiuae, imperatiui modi, plurali secunda persona ediscunt pueri, nisi a peritis Magistris corrigantur: amemini, doceamini, legamini, audiamini, pro amamini, docemini, legimini, audimini. Quam correctam vero Linguae Hungaricae Grammaticam habeamus a Vályio, exspectandam, conici potest ex illo eius libello, quem typis Pestini Anno 1793 edidit: *A' Magyar Nyelvnek-megtanulására vezetö rövid Ösvény*. Satis ego ipsum tunc rogavi, vt peculiarem typi quam correctissimi haberet rationem; interim produiit opusculum erroribus typi referatissimum. Sed minime id mirum, vt qui hoc ipsum de Grammatica Linguae Hungaricae Manuscriptum suum Eruditorum iudicio submittere, ac seueram eorum censuram expetere non dubitavit; orthographicis tamen erroribus deformatum iis exhibere sustinuerit. Primam tantum Voluminis Primi paginam inspiciamus, et tres illico errores occurrent: *ortographia*, *kozönségesen*, et *coniungatio*. Iam, si Vályium primo statim in limine taedium attentionis inuasit, quid in progressu faciet? quid tum ei patientiae erit reliquum, quando cum alienis, Typotheorum nempe erroribus luctandum fuerit? Porro autem sub finem eiusdem Voluminis occurrit: *bizni*, *sperare*: atqui Párizpapai, Editione Leutschoviensi anni 1708: *reméllem*, spero, vertit; *bizom* vero, fido, confido. Grammaticae igitur Hungaricae, in vsus publicos vulgandae, elaboratio, mea quidem opinione, non Cl. Prof. Vályio, sed emerito illi Humaniorum Professori Nicolao Révay esset a serenitate Sua Regia, et Excelso Consilio, honoris gratia, deferenda. Virum hunc maximo semper Linguae Patriae amore flagrauisse publice per Regnum constat. Non vno is iam opere celebrem sibi apud populares suos famam comparauit; per octodecim autem annos proximos peculiarem Linguae Hungaricae, quocunq; posset subsidio, eruderandae operam impendit, atque ita impendit; vt cum ante annum huc Sopronium aduenisset, Quatuor Volumina *Disquisitionum Grammaticarum ad Grammaticam Hungaricam certius figendam* iam parata mihi exhibuerit: Quintum vero Volumen ad hanc ipsam rem pertinens, Tria item Volumina *Antiquitatum Literaturae Hungaricae*, praeterito anno scholastico, ea, qua per valetudinem, curasque ceteras licuit, vsura temporis in chartam coniecit. Etiam initio harum autumnii feriarum, non tantum valetudinis

suae corroborandae, sed ea etiam gratia Viennam ascendit: vt eruditae has circa Patriam Linguam lucubrationes suas, subsidio Bibliothecae Palatinae adiutus, numeris, quibus posset, omnibus absolueret. Certe vel ex aduolutis hic sub *G* Obseruationibus eius, cursim factis, mihiq; ante discessum traditis, mihi saltem liquido apparere videtur, neminem ad Grammaticam Linguae nostrae optatissimo cum successu apparandam magis esse instructum, magisque adeo idoneum. Complura ille in Obseruationibus his attigit, quae in thesauriis illis Disquisitionum et Antiquitatum eius Voluminibus latent recondita, quae, in opinione sua deprecanda, euoluere vberius noluit; ne opes litterarias, octodecim annorum fatigio ab se collectas, alienum in vsum prodigeret; vel potius, ob digerendi fastidium, ab alio forte praetereundas necququam profunderet. Haec ego mecum reputans, cum Révayus descendere se Vienna, ad concertandas opiniones nostras, haud posse mihi scriberet, quaesiuim ex ipso per literas; num se pro elaboranda Grammatica insinuari a me Excelso Consilio vellet: respondit, secure me id posse facere, libenter se huic oneri subicere, immo iam laborare. Quare, si Benigno Gratioso Intimato prouocatus Vir hic fuerit, proximo iam vere rem eum paratam habiturum spero. Ceterum, etiamsi propter interuenientem forte aliquam remoram, paulo tardius forte opus absoluerit, satis cito fiet, quod a Révayo bene fiet.

Haec vltima, ob occupationes tuas nunc multiplices, adieci; tu autem noli, amabo committere, vt te promissi mihi facti poeniteat, et me vadem tuum deseras. Expediui Opiniones nostras, cum tota reliqua mole, die 25 Novembris.

Közli: DR. RÉCSEY VIKTOR.

ARANY JÁNOS MŰFORDÍTÁSI TÖREDÉKE.

A dainok elhullt . . . Arany hátrahagyott költeményeinek *Forgások* című csoportjában a fenti kezdettel van egy daltöredék. Eredetként van közölve. Úgy látszik, kikerülte a művek sajtó alá rendezőjének különben gondos, mindenre kiterjedő figyelmét. E sorok ugyanis Moore ír dalaiból vannak fordítva, még pedig a *The minstrel-boy* című költemény második versszakát képezik:

The minstrel fell! but the foeman's chain
 Could not bring his proud soul under!
 The harp he loved ne'er spoke again,
 For he tore its cords asunder;
 And said: »No chains shall sully thee,
 Thou soul of love and bravery!
 Thy songs were made for the brave and free,
 They shall never sound in slavery!»¹

VERSÉNYI GYÖRGY.

¹ A közlőnek teljesen igaza van. A sajtó alá rendezőnek tévedése onnan származott, hogy Arany csak egy versszakot fordítván le, nem írta oda a szerző nevét s később sem folytatta. Így a töredék eredeti dolgozatnak tűnt fel a többi eredeti töredék között.

Szerk.

JÁSZAY PÁL NAPLÓJA.

— Tizenegyedik közlemény. —

24. *Csütörtök.* Reggeltől estig ismét szüntelenül a leveleket olvastam és Józsit tanítottam az újmódi deutschra. Estve Szentimrey Laczi is oda jött, valamely Józsi által tett judiciária exhibitio eránt, de én nagyon rajta voltam, hogy ne adjon róla Samu testimoniálist, s így ne rontsa el a becsületét, melyet Samu fogadott is; s Laczi mindjárt visszament haragosan Baktára. Hives szeles idő volt.

